1854

DE FISTULA STERCOREA CONGENITA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PATHOLOGICO-ANATOMICA

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

SCRIPSIT

ET DIE XXV. APRILIS ANNI MDCCCLIV

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS FRIDERICUS WEBNER

RHENANO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

OTTO HILLE MED. ET CHIRURG. DD.

AEMILIUS CRUEGER MED. ET CHIRURG. CAND.

HALAE

TYPIS O. HENDELII.

VIRO

AMPLISSIMO EXPERIENTISSIMO ET MAXIME COLENDO

HUGONI PHILIPPO VICTORI GESENIO

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI PRACTICO HALIS MEDICO

HASCE PAGELLAS

SUMMAE ET REVERENTIAE ET AMICITIAE DOCUMENTUM

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Multum mihi ac diu apud animum consideranti, quid potissimum ex ingenti copia egregiarum et praeclararum rerum, quae in arte medicina omnium cognitione dignae viderentur, dissertatione breviter illustrandum deligerem, quum neque id argumentum, quod in omnibus partibus satis notum, tritum, identidem pervulgatum esset, denuo conceptum repetendum, neque sententias eas in publicum emittendas putarem, de quibus nondum adhuc inter eruditos viros convenisset, peropportune et valde expetenti contigit, ut in clinico chirurgico - ophthalmiatrico hujus urbis, in quo jam multifariam egregia morborum exempla introspiciendi exoptatam occasionem nactus sum, insignis quidam casus proponeretur, quo diverticulum aliquod apertum manserat, hunc in modum, ut faeces per umbilicum effluerent, cui quidem casui nomen inditum esse constat fistulae stercoreae congenitae. Quae conditio quum haud crebro occurrat atque hic casus raro dumtaxat et, quantum equidem sciam, cum magnis et luculentis varietatibus et cum aliis formationibus impeditis adumbratus sit, consentaneum mihi videtur hoc descripto hoc certe assequi, ut simimilium exemplorum numerus paullum auctus et locupletatus esse videatur. Quod si mihi ita, ut concupisco, contigerit, ut viri eruditi, qui vel hanc rem probe teneant, vel largo usu experti de ea re recte judicare possint, aliquantum mecum consentiant, satis mihi in hoc argumento illustrando operam videbor navasse eaque res mihi, opinor, magnam et gravem cohortationem afferet, ut in similibus studiis diligentius persequendis nec tempus neque operam collocare dubitem.

DE FISTULA STERCOREA CONGENITA.

Gravissimum profecto est et magnam animo delectationem affert, si quis naturam, omnium animantium et organicarum rerum procreatricem, tanquam in officina multum molientem et quodammodo ludentem contueatur, uti a rebus minimis, quas ne oculis quidem adspicere ullo modo licet, usque ad maxima et egregia miracula in diversissimis generibus omnia gignat, ut nonnunquam tanquam productionis vi et vigore abundante animantem pluribus, quam secundum normam et regulam requiruntur, organis instructam et munitam esse velit, cum ex altera parte opere vix medio confecto repente subsistat, tanquam opere inchoato haud amplius delectetur, idque modo inceptum ac ne dimidia quidem ex parte perfectum in inferiore evolutionis gradu consistere patiatur. Jam vero hoc ipso in numero, quem extremis verbis significavimus, in genere quodam deformationum, quas docti viri impeditas formationes (sic enim vernaculam vocem Hemmungsbildung satis perspicue illustrandam censemus) hoc quoque exemplum reponendum est, quod hisce paginis uberius describendum nobis proposuimus.

Oscar Generowsky postridie Iduum Februariarum anni h. s. LIV. natus est, ita ut neque ipse partus neque infans in lucem editus quidquam exhibuisset, quod a recta norma discedere videretur. Unum tantummodo abnorme apparuit, quod funiculus umbilicalis proxime umbilicum aliquanto crassior esset, quam vulgo fieri solet et pressione adhibita sonum edebat similem ut si ex ampulla dimidia parte inani aqua effunditur (quackernd). Per usitatam longitudinem cum esset subligatus, nono post die collapsus umbilicum reliquit ea indole, quae prorsus cum solita norma convenire videretur, in quo tamen obstetrices continuo infra exiguum colliculum, postridie vero ejus diei aliquam aperturam margine rubefacto, denique biduo post, quum infans noctu multum clamorem edidisset, majorem eminentiam animadvertebant. Hoc ipso autem die factum est, ut infans in nosocomio, quod directore doctissimo Blasio floret, ad contuendum exponeretur. Atque illa quidem in umbilico eminentia, quae parvo intestini recti prolapsus simillima esse videbatur, magnitudinem fere medii cujusdam fructus rubi Idaei et in apice aperturam praebebat, in quam catheter elasticus media crassitudine propemodum ad tres, tenuis vero ad 6—7 pollices introrsum compelli poterat. Ex ea igitur apertura statim exigua tantum

copia fluidi subflavi et spumei egesta est, antea vero, id quod linteola carpta ab umbilico dempta ostendit, nonnulla intestinorum contenta e viridi flavescentia exierant. Jam vero eminentia, cujus de natura nihil erat, quod ambigere quisquam posset, pressu adhibito aliqua ex parte in umbilicum introduci poterat, ita tamen ut extemplo rursus egrederetur, in superno ejus ambitu etiamtum suppurantem illum locum conspicere licebat, quo funiculus umbilicalis erat delapsus, circumcirca annulus umbilicalis ubique satis perspicue tactu sentiri poterat. Ceteroquin nihil in infante repertum est, quod a vulgari norma declinaret, orificium ani rigide constrictum apparebat, verumtamen faeces ex eo normali ratione ac prorsus regulari tempore egestae erant, itemque urinae excretio regulari modo efficiebatur atque infans ipse e mamma materna libenter sugebat.

Priusquam igitur et decursum morbi et mutationes, quae interea inciderint, uberius persequar, pauca modo de origine et de casibus hujus similibus placet commemorari, ita ut declaretur, istius modi exempla inde originem ducere, quod totius organismi evolutio in priore aliquo et inferiore gradu normali subito retenta subsistat, quod quo facilius perspici possit, demonstrandum mihi videtur in priore vitae embryonalis periodo istam formationem semper re vera existere.

Priore scilicet tempore tenue embryonis intestinum cum vesica umbilicali principio ipsum immediate, postea vero sic copulatur ut tenue aliquod filum intersit. Haec autem vesica primo proxime introitum cavi abdominis collocata est, cum vagina umbilicalis in ea superiore periodo tantummodo infernam anteriorem ejus cavitatis partem efficiat, paullulum in apicem exeuntem, sed vix coangustatam. Eodem vero modo, quo abdomen a vagina umbilicali secerni coeptum est, a vesica umbilicali discedit, eoque magis, quod simul haec ipsa ab eo funiculi umbilicalis fine, qui ovo finitimus est, longius amovetur, et inter amnion et chorion proficiscitur, ubi postremo evanescit. Canalis intestinorum ac praecipue et initium crassi et terminus tenuis intestini sane multo etiam postquam abdomen a vesica umbilicali secretum est, in hac inferiore posita jacent; nihilo tamen minus a vesica umbilicali amoventur, cum partim vagina umbilicalis in longius spatium se extendat, partim ipsa vesica umbilicalis dimoveatur, partim canalis intestinorum ad abdomen versus conglomeratur. Usque ad tertium vitae embryonalis mensem tuberculum etiam in ileo relinquitur, utpote extremum vestigium pristinae copulationis, quod si ultra istum periodum diutius conservatur, tanquam .coeca quaedam appendicula sub oculorum adspectum subjicitur. Quanquam in hoc ipso potissimum periodo accidere solet, ut formationis progressus repente impeditus cohibeatur, cum intestinum magis minusve perfecte pristinam suam cum vesica umbilicali conjunctionem retineat. Cujus quidem rei varii extant gradus. Aut enim vesica umbilicalis etiam ultra usitatam periodum diutius incolumis manet et cum illo aperto quodam meatu cohaeret, quem vasa omphalo-mesenterica comitantur, aut ductus tantummodo reperitur apertus longior vel brevior, qui ex eodem loco item vasis omphalo-mesentericis comitantibus ab ileo ad umbilicum usque decurrit, ubi apertus finitur, aut denique in eodem loco prominentia dumtaxat longior vel brevior occurrit, coeca videlicet appendicula sive processus diverticuli ilei, quae persaepe vasa omphalo-mesenterica comitatur, ita ut vel ex ejus apice libere dependeant, vel umbilico, vel alii ductus intestinorum parti affigantur, eaque re laquei quandam speciem efficiant.

Jam istas tres abnormitates, quas modo persecuti sumus, nihil aliud esse nisi diversos

gradus ejusdem in formatione discessionis, primum inde apparet, quod eodem atque uno loco occurrere solent, deinde ex ea ratione, quae illis cum vasis omphalo-mesentericis intercedit, tum e varietatibus gradatim occurrentibus, quas iterum isti singuli gradus per se in longitudine atque in amplitudine offerunt. Jam doctissimus Meckel, [1]) unde originem istae formationis discrepantiae traxerint, hunc fere in modum interpretari ingreditur. Tractus intestinorum in funiculo umbilicali ita reflectitur, ut cum proprio abdomine peracutum angulum efficiat, ex eoque angulo vas quoddam exiguum et subflavum, quod paullatim magis magisque angustius evadit, in funiculo umbilicali progreditur, qui tamen funiculus prius etiam evanescit, quam illud vas finitum est. Diverticula autem reliquias esse istius conjunctionis, quam ductus intestinorum cum vesica umbilicali inierat, quum ex aliis nonnullis rebus, tum hinc imprimis demonstrare in promptu est, quod semper una dumtaxat istius generis deformitas in eodem corpore deprehenditur. Omnia videlicet illa exempla, in quibus docti viri complures simul tales deformitates nacti sunt, inde nata esse constat, quod interna intestinorum membrana musculosam foras egressa est, eaeque rupturae a congenitis, quae semper oblongae et paullulum in aliquem apicem exeuntes apparent, primo statim obtutu rotunda specie et luculenta ad basim constrictione distinguuntur. Eodem accedit, quod istae rupturae semper in tenui intestino inveniuntur, quod etiam illustris Ruysch [2]) asseverat, quum: Ejusmodi diverticula, inquit, ut plurimum, si non semper in ileo occurrunt. Nec vero solum in hominibus, verum etiam in bestiis hoc constanter accidere videtur; etenim Morgagni in suibus et anseribus diverticula et omni quidem tempore in tenui intestino reperit. Semper vero ductus vesicae umbilicalis in intestinum tenue, nunquam in crassum penetrat. Ceterum quod is locus, quo ista diverticula inveniuntur, in tenui intestino nunquam plane idem est, hoc quidem nihil huic sententiae refragatur, si haec verba clarissimi Wolff consideres: „Denique, inquit, non omnes embryonis partes aequali jure crescunt et perficiuntur. Saepius involucra interioribus partibus et his rursum illis praeferri, saepius cor cum hepate prae intestinis et contra haec prae corde magis, quam solitum est, promoveri observatum est mihi.“ [3]) Et: „Tempus incubationis, inquit, quo certae in ovis perfectiones obtinentur, mire variat, adeo ut non rarum sit, ova aperire, sex v. g. dies incubata, quae aliis, quinque dies incubatis, vix aequalia sint, iterumque alia sex dierum ova videre, quae ova septem, immo octo dierum alia superent, quamvis, quod magis mirandum esse censeo, omnia sive tardiora fuerint, sive praecocia, die vigesimo primo absoluto, nec facile prius, maturescant tamen foetumque excludant.

Quodsi tota organa atque universi organismi interdum tanto celerius, quam vulgo fieri solet, se evolvere queunt, hoc profecto in singulis ejusdem organi partibus multo minus mirari debeas, quapropter diverticulum ventriculo vel colo propius collocatum erit, prout antica vel postica tractus intestinorum pars canali vesicae umbilicalis celerius obviam creverit. Porro is locus in circumferentia canalis intestinorum, quo congenitum diverticulum sedem collocavit, haud parum huic sententiae suffragari videtur. Etenim semper in

---

[1]) Beiträge zur vergl. Anat. 1. Band p. 92.

[2]) Thes. VII. p. 10.

[3]) Comm. Petrop. c. XII, p. 464.

externa parte parte locum habet e regione mesenterii et usque quaque opposita pars sub angulo acuto in cavum intestinorum introducta est. Atqui is ipse locus est, quo canalis vesicae umbilicalis insertus est, eaque ipsa in illo forma canalis intestinorum. Denique haec deformitas cum aliis conjuncta extat, quae evolutionem in priore aliquo gradu normali cohibitum substitisse satis aperte significant. Videlicet doctissimus Rosenmüller [4]) in infantibus, qui vel cranio, vel cerebro carebant multifariam diverticula reperit. Similiter clarissimus Meckel [5]) idem observavit in infante labio leporino, palato fisso, senis digitis et manuum et pedum et utero bicorni praedito, idemque praeterea in foetu femina maturo, quae plane easdem deformitates offerebat, in quo insuper diverticulum, fissura abdominis, qua effectum erat ut pars hepatis propenderet, et fissura vertebrarum lumbalium erat conjuncta. Qua in re major digitorum numerus nihil huic opinioni refragatur, quum forsitan ex eo facile quispiam suspicari possit, tanquam diverticulorum cum reliquis duabus deformitatibus conjunctio, quae satis certo progressum evolutionis in legitimo cursu impeditum substitisse declarant, scilicet cum palato fisso et bicorni utero, casu dumtaxat et fortuito effecta sit, etênim hic ipse major solito digitorum in manibus pedibusque numerus nihil aliud significat, nisi auctum evolutionis retentum esse. Namque quum torus circa manus et pedes fingitur, ex quo deinceps manuum pedumque digiti efficiuntur, ille majorem ambitum oculis offert, quam hi postea obtinent; quodsi normali ratione evolutio procedit, revera aliqua illius pars evanescit, simulatque periodus incidit, quo digiti formari incipiunt; e contrario, si evolutio a normali progressu discedit, illa pars nequaquam evanescit, atque vix aliter apparere potest, nisi sub forma digiti supervacanei. Huic autem observationi Wolffiana prorsus suffragatur, quum ille principio circa universos pulli gallinacei margines laterales nubeculam oriri animadvertit, quae postea tantummodo in extremitatum loco relinqueretur.

Observationes autem, quas viri doctissimi Schultz, [6]) Schlichting, [7]) Fabricius, [8]) Weitbrecht [9]) aliique praeterea multi instituerunt, quorum numerus centum fere exempla complectitur, satis superque sufficere videntur, qui constantiam ejus loci, in quo diverticulum occurrat, recte declarent. Nec tamen propterea semper ab iisdem ejus loci partibus proficiscitur, sed, id quod jam supra demonstravimus, modo propius colon, modo in partibus longius ab eo remotis. In Weitbrechtiano autem casu una, in Fabriciano duabus palmis supra finem tenuis intestini observatum est. In eodem loco illud clarissimus quoque Meibom [10]) conspexit. Ex eo autem quod plerique scriptores observatum retulerunt, frequentissime videtur accidere, ut diverticulum decem usque ad duodecim pollicibus supra initium coli sedem habeat.

Jam huic loco tractus intestinorum cum indole et natura diverticulorum intimam et

---

4) Isenflamm und Rosenmüller Beitr. für die Zergliederungskunst Bd. II. H. 2. S. 275.

5) Thamm de genitalium sex. seq. varietatibus Halae 1799 p. 28.

6) Act. n. c. t. I. obs. 226 q. 504.

7) N. act. n. c. A. I. p. 157.

8) Bei Morgagni de caus. et sed. l. 24. a. 17.

9) Comm. Petrop. t. IV. pag. 263.

10) De vas. palp. p. 6.

arctissimam rationem intercedere exempla supra commemorata ejus conformitatis declarant, quae in hac re inter homines et reliqua animalia satis perspicue apparet. Praeterea hoc multum interest, quod istud diverticulum in suibus potissimum crebro conspicitur, in quibus vestigia vesicae umbilicalis vel tunicae erythroidis ad tantum temporis spatium incolumia maneant. Maximam sine dubio delectationem attulerit, si quis comparatione diligenter instituta de istis deformitatibus in iis animalibus, ubi hoc organon ad longius temporis intervallum conservetur, atque in aliis, ubi jam mature tollatur, quaerere animum inducat; adhuc tamen ejusmodi perscrutationes desideremus. Pallas [11]) tantum significat in ileo leporis sive lagomyos pusilli diverticulum reperiri. E contrario in avibus frequentius quam in quadrupedibus occurrere videtur. Pallas [12]) in psophia crepitante ejusmodi diverticulum in intestino tenui longitudine dimidio pollicis deprehendit. Clarissimus Cuvier [13]) idem diverticulum in compluribus avibus, illustris Meckel bis in sue, sexies in ansere, bis in anate vulgari, itemque bis in anate crecca, semel in anate fuligula in colo animadvertit. Similiter Morgagni [14]) idem multifariam in ansere vidit et in ea quidem tenuis intestini parte, quae ileo respondet, propius intestinum rectum quam jejunum. Rudolphi [15]) illud in hac ave constanter videtur observavisse. Quanquam autem Morgagni [16]) arbitratur amplitudinem ejus diverticuli in anseribus semel a se observatam impedire, quominus pro reliquiis ductus vitello intestinalis habeatur; ea tamen sine dubio hoc loco prorsus fortuita est, et in diversis animantibus varia occurrit, quum in eo quaerendum sit, utrum illa pars cum reliquo tractu intestinorum secundum typum embryonalem aequaliter evoluta et progressa, an etiam fortasse mechanico tantum modo post partum extensa sit, nec ne. Ceterum ratio, quae inter amplitudinem ductus vitello-intestinalis et tractus intestinorum intercedit, pro diversis vitae aetatibus et ipsa varia existit. Quod autem diverticulum in avibus frequentius et in quibusdam generibus etiam constanter occurrere solet, id quidem maximi momenti est, ut hinc ejus origo in universum pervestigari et illustrari queat, quippe quae hoc loco admodum perspicue et manifeste sub oculorum adspectum subjiciatur. Simul accedit, quod et ipsum haud parvi videtur esse momenti, quod in anserinis potissimum avibus, qui inferiori ordini adscribuntur, constanter occurrere videtur. Ut quidem Needham [17]) et Maitre-Jean [18]) asseverant, in omnibus sane avibus per totius vitae cursum manere dicitur, verum hoc certo constat doctissimum Meckel illud in sex columbis aliisque avium generibus nusquam reperire potuisse. Ut cunque ea sunt, hoc loco sine dubio multo minus est, cum illud etiam in gallopavone tale adspexerit, ut vix oculorum acie diagnosci posset, et multo exilius quam in minimis anseribus et avibus grallatoribus. Jam interdum in diverticulo etiamtum mira quaedam vestigia apparent, quibns pristina ejus vis et natura significatur. In

---

11) Novae sp. glirium p. 42, t. IV. B. f. 7. k.
12) Naturgesch. merkw. Th. IV. S. 11.
13) Vergl. Anat. B. III. S. 515.
14) De caus. et sed. ep. 34 a. 17.
15) Phys. Abh. S. 55.
16) De form. foetu p. 97.
17) De formato foetu p. 97.
18 Sur la form, du poulet p. 292.

infante tres menses nato doctissimus Meckel vidit, quomodo vasa omphalo-mesenterica, quae ex superiore arteria et vena mesaraica proficiscuntur, secundum diverticulum decurrerent. Quae quidem aliqua ex parte patebant, verum in filum solidum umbilico affixum exibant.

Accedit Otto [19]) qui et ipse in diverticulo ejusmodi filum conspexerit.

Sandifort [20]) in apice diverticuli tenue sed solidum filum animadvertit, qui ad supernam mesenterii partem decurrebat, eique diverticulum affigebat. Sed manifestum erat, illud a mesenterio ad diverticulum pervenire et ex obliteratis vasis omphalo-mesentericis constare. Cujus fili quae vis et natura sit, etiam ex adumbratione perspicitur, quam doctissimus Doeveren suppeditavit. Similiter vero ab apice diverticuli profectum est, ejusque substantia plane eandem naturam exhibebat, quae rotundi hepatis ligamenti propria est, igitur alius vasis obliterati. Jam maximi momenti ad eam sententiam, quam de origine diverticuli exposuimus comprobandam illud videtur, quod cum deformitatibus vel similibus, vel alius generis una conspici solent. Plurimum sane ad eam quaestionem dijudicandam illae superiores conferunt; si vero diverticulo cum iis conjuncto et aliis insuper rationibus hujus deformitatis natura et indoles nobis probata est, haud scio an recte quispiam sine ulla disputatione inde argumentum ad nostram sententiam confirmandam petat, quod eodem tempore diverticula cum iis deformitatibus reperiantur, quarum universa ratio et consilium prorsus contrarium sit, quippe quum auctus vigor et fabrica aliena, quae ad totum corporis organismum pertinet, facile efficere possit, ut singula organa negligantur. Illustres Isenflamm [21]) et Meckel [22]) evolutione superni corporis dimidii omnino deficiente vel cum acephalia existeret, in parvo ilei rudimento, quod in intestino crasso occluso fine insidebat, prorsus e regione umbilici, vulgare aliquod diverticulum animadverterunt.

Quod etiam Rosenmüller [23]) aliquoties in monstris cranio carentibus reperit. Cum eodem pravitate, aliis insuper deformitatibus associatis, Otto diverticulum vidit.

Sandifort [24]) eodem tempore labium leporinum, palatum fissum, herniam umbilicalem, spinam bifidam, renes inter se concretos et septum cordis perforatum observavit. Diverticulum autem vulgare et occlusum doctissimus Meckel [25]) semel cum labio leporino, palato fisso, utero bicorni, alio in exemplo easdem deformitates, etsi nullo diverticulo, tamen vasis omphalo-mesentericis, quorum eadem vis et significatio est, comitatas conspexit.

Dupuytren [26]) cum fissura vesicae urinariae et penis, defectu alterius arteriae umbilicalis et partis diaphragmatis, labio et palato fissis quondam diverticulum observavit. Schulz simul magnam herniam umbilicalem, singularem quandam uretherum amplitudinem et in dextro latere duplicitatem vidit. Meckel aliquando simul duplex labium lepo-

---

19) Otto monstrorum trium cerebro atque cranio destitutorum disquisitio. Francof. ad Viadrum p. 16.

20) Obss. anat. pathol., lib. I., c. X., p. 124.

21) Isenflamm und Rosenmüller Beitr. für die Zergliedernngskunst Bd. II. H. 2. S. 275.

22) Beitr. für menschl. und vergl. Anat. H.. 2. p. 146.

23) Bei Isenflamm a. a. O.

24) Obss. anat. pathol.. lib. III. cap. I.

25) Bulletins de l'école de med. an XII et XIII p. 58.

26) Reils Archiv Bd. 9, H. 1.

rinum et palatum fissum, alio in casu herniam umbilicalem, perforatum cordis septum, fissas vertebras lumbales et ossificationem ossis coccygis omnino deficientem, alias praeter illa duo vitia defectum intestini recti et in universum mancam imperfectamque totius inferni corporis dimidii evolutionem, itemque non recte completam ossium cranii ossificationem deprehendit.

Magis vero etiam perspici licet, quae diverticuli natura et notio sit, si eorum exemplorum rationem habeas, quibus usque annullum umbilicalem apertum manet, cum inde a canali intestinorum ad anteriorem usque abdominis faciem meatus quidam decurrat, qui vel longius in spatium diductus vel in brevius correptus est. Cujus generis exempla multa adumbrata reperiuntur in iis libris, qui ad anatomiam pathologicam exponendam pertinent. Atque in his omnibus complures praeterea majoris momenti pravitates oculis conspicuae extiterunt, quibus alia organa in prioribus evolutionis gradibus impedita constiterunt. Meckel [27]) in libro suo, quem de anatomia pathologica inscripsit, sic statuit, aperturam intestini in antica abdominis parte atque vulgare illud diverticulum deformationes eas esse, quae nulla alia re, nisi gradu pravitatis inter se differant, ita dumtaxat ut in illa, quam priore loco posuimus intestini evolutio in inferiore aliquo progressionis gradu restiterit, quam in hoc posteriore. Etenim his in ea re explicanda verbis utitur: „Die Zeit, aus welcher sich das gewöhnliche Divertikel datirt, ist das Ende des dritten Monats, während die Periode, in welcher jene Oeffnung am Unterleib begründet ist, mit der siebenten Woche spätestens vorüber ist. Daher sind auch die analogen Missbildungen der benachbarten Organe hier weit grösser, lassen sich auf dieselbe Periode reduziren. Hier finden sich häufig keine andern Missbildungen, weil die übrigen Organe in der Periode, wo der gewöhnliche Divertikel noch regelmässige Bildung ist, schon eine mehr bleibende Form angenommen haben.“

Quae quum ita sint, apparet diverticulum esse vel apertum vel conclusum, quorum illud superius inde natum est, quod progressus evolutionis in multo inferiore gradu perseveravit, ita videlicet, ut canalis intestinorum, qui e duabus laminis sibi invicem e regione oppositis effingitur, nondum perfecte occlusus est. Etenim quemadmodum in avibus solet contingere, sic in mammalibus quoque ex eo quod lamina mucosa in cavitatem embryonis introrsum trahitur, primum scrobiculus oritur, ex antica et ex postica parte penetrans, qui in medio sulco copulatus est ad vitellum vergente, quoque paullatim occluso canalis intestinorum efficitur.

Si igitur exempla hujus deformationum generis diligenter apud animum consideres, quae in liberis ad anatomiam pathologicam pertinentibus uberius exponi solent, semper invenias evolutionem in gradu multo inferiore constitisse, et hoc malum, de quo nunc sermo instituitur, cum aliis impeditis formationibus complicatum esse, quibus rebus exemplum a me enarratum satis perspicue a ceteris omnibus discernitur. In formatione infimae ordinis aperturae eorum systematum, quae urinae excernendae, generationis, faecum egerendarum munera complectuntur, in anteriore abdominis pariete apparent. Hoc igitur loco in minimo evolutionis gradu, in eo loco patefiunt, qui textura a reliquo abdominis pariete haud quaquam discrepat ac tantummodo paullulum in profundum depressus est; sic autem

---

[27]) Handbuch der pathologischen Anatomie Bd. I. p. 580.

natura formationis aliquanto longius et altius progressa est, haec depressio mollitie et tenera quadam naturae suae indole a ceteris regionibus discernitur, quomodo membrana quae quidem ad canalem intestinorum eique finitima ac propinqua organa membranis mucosis investita retrorsum inflexa est, a se ipsa distinguitur quatenus externum organum exhibeat.

In hoc casu pro vesica urinaria probari solet; veruntamen quum in ea saepenumero meatus ille, qui communicationem inter tenue intestinum et vesicam umbilicalem efficit, vagina et, si quando adest, finis canalis intestinorum patefiant, haud scio, an vix quidquam aliud putari possit, nisi primum rudimentum, unde communis cavitas his organis recipiendis conformetur, ex qua, si evolutio normalem naturam et cursum retinuisset, ista omnia organa essent secreta. In infimo formationis gradu plerumque accidere solet, ut universum quoque abdomen fissum sit, quo de genere exemplum quoddam illustris Petit copiose descripsit. A processu ensiformi usque ad ossa pubis et ab altera regione lumbali ad alteram cutis et musculi abdominis deerant, neque organa digestioni inservientia nisi in peritoneo continebantur. Supra ossa pubis rotunda quaedam depressio adspiciebatur, cujus diametrus paullo amplius, quam unum pollicem erat porrecta, in ea hiatus ovalis ac profundus, denique infra eum appendicula sex linearum longitudine, cujus circuitus quatuor lineas continebat. Nates haud recte dispici poterant, anus et, praeter appendiculam, cujus modo fecimus mentionem, externa quoque genitalia omnino defuerunt. Uretheres in antica abdominis facie patefacti sunt pari altitudine cum illa rotunda depressione, quae ad ileum ducebat. Quorum quidem decursus ingentem in modum extensus erat, ita ut dexter in amplissima parte diametrum unius, sinister duorum pollicum exhiberet. In fine suo in canalem sex lineas longum, sed tantummodo dimidium lineae amplum exibant. Os sacrum et os coccygis non retrorsum, sed in adversam partem erant fornicata, et ultra ossa pubis eminebant, ita ut nulla omnino pelvis cavitas reperiretur. Illa autem appendicula, quam paulo ante commemoravimus, nihil aliud erat nisi virga imperfecta, quae introrsum coecum finem habebat. Recti quidem intestini itemque coli in universum nullum eo loco vestigium animadversum est. Quodsi gradum unum longius feceris, formationem eam ita dumtaxat, mutatam reperies, ut ea substantia, in qua diversa organa exeant, textura ab anteriore abdominis pariete discernatur; tamen, quantum quidem e casu aliquo, quem doctissimus Voisin[29]) adumbravit, judicare possis, res ita se habere videtur, tanquam illa massa in utroque latere e duobus dimidiis oriatur, quae sibi invicem obviam progressa in media linea inter se contingant. In puero recens nato, in quo orificium ani ita prorsus deerat, ut ne minimum quidem ejus vestigium extaret, rhaphe longe in anticam partem dimota erat, eundem locum, quem ceteroquin pudendum muliebre occupat, duae plicae labiorum similes integumentis formatae obtinent, quae levi aliqua depressione inter se separatae erant. Cujus depressionis in termino superiore coeca apertura aderat unam lineam profunda, tribus tamen lineis supra alia extabat minore ambitu, quae ad ileum ferebat et juxta hanc in utroque latere protuberantia inflexa, quae utraque magnitudinem amygdali prae se ferebat. Hae igitur duae protuberantiae obliquum

---

[28]) Memoires de l'acad, des sciences 1796 p. 114,

[29]) Description d' un foetus difforme,

in se invicem statum tenebant, infernis suis finibus inter se contingebant, supra tamen distantiam mediam unius pollicis inter se relinquebant. Quarum superficies rubra, mollis multisque aperturis perforata erat, ex quibus perpetuo urina effluebat. Quum puer mortem obiisset, in utraque earum protuberantia uretherem repererunt, nec tamen orificio sed quasi quadam intumescentia patefactum, quae multa minora foramina continebat. Neque ullum coli vestigium extitit. Hac observatione alia, quam Mery [30]) exposuit, satis bene illustratur. Etenim in infante, ubi similiter anterior abdominis paries propemodum omnino deerat, in inferno fine herniae abdominalis locus quidam apparuit, aliquantum depressus et ovalis, in quo quinque foramina discernere licebat. Quorum quod in infimo loco erat collocatum, id ad rudimentum recti intestini perangustum ferre videbatur, quod uno pollice infra marginem illius depressionis patefactum est, ita ut haec duo foramina contraria canalis cujusdam orificia efficere viderentur. Supremorum contra secundum ad ileum ducebat. Tertium quod a dextro depressionis latere conspiciebatur, in duo cava ferebat, diversae et formae et profunditatis, quae tamen nihil proprium, neque insigne praebebant. Quartum vero et quintum unumquodque ad quasi quandam vesicam ferebat, quae vesicae quum forma tum structura magnopere inter se discrepabant, quarum tamen utraque uretherem oppositi lateris recipiebat. Hoc igitur loco sic se res habere videtur, tanquam vesicae dimidia etiam altera ab altera secreta longius se evolverint, quemadmodum in ophidiis uretheres, priusquam in cloacam exeant, dilatantur. Eodem alius quoque similis casus est referendus, quem Littre observatum descripsit. In eo etiam abdomen omnino fissum, ileum paullulum supra symphysin ossium pubis in anteriore abdominis facie apertum erat, dexter urether quatuor lineis supra eum locum, ubi os pubis ejusdem lateris sedem habere debuit, in antico abdominis pariete, sinister autem, qui tertia parte amplior, quam dexter erat, media in vesica, septem lineas longa, quatuor lata, quae specie quadam colli instructa, quod musculo sphinctere praeditum esse videbatur, prope eadem regione in anteriore abdominis pariete foras egrediebatur.

Frequentiora ea exempla occurrunt, ubi duo e lateribus dimidia in unam massam conflata sunt, in qua organa uropoetica, genitalia et ileum, interdum quoque rudimentum recti intestini aperiuntur. Hujus tamen rudimenti intestini recti aperturam probabile videtur non ipsum anum esse, sed rimam, quae principio inter utramque intestinorum laminam collocata erat, ac tantummodo valde coangustata est. Ita videlicet clarissimus Delphini [31]) infantem marem unum mensem natum describit, in quo perscrutando ipse versatus est. Ab umbilico usque ad perinaeum et ab altera lumbali regione ad alteram tumor pertinebat, qui a superficie exulceratus et in transversa directione divisus esse, a superna parte herniam umbilicalem, contra ab inferno scrotum formare videbatur; verumtamen supra scrotum nulla virga, infra perinaeum nullus anus animadversus est. Jam in ea tumoris parte, quae scrotum repraesentabat, quatuor aperturae sub oculorum adspectu subjectae sunt, una superior, altera inferior, denique duae a lateribus, quae omnes dimidii pollicis distantiam inter se exhibebant, Quarum superna ad ileum, duae laterales ad uretheres in magnam amplitudinem dilatatos, infima denique ad saccum ferebat recti intestini

---

[30]) Mémoires de l'academie des sciences 1716 p. 184—189.

[31]) Opusc. scelte sulle scienze e sulle arti. Milano. T. VI. p. 21—23.

similem, pollicem et dimidium pollicis longum, quatuor lineas amplum atque coecum, qui ossi sacro affixus erat. Genitalia similiter ut tota in universum formatio aliquanto longius erant evoluta quam in priore exemplo, quum testiculi et epididymides in scroto invenirentur. At vero funiculos et vasa spermatica non magis quam virgam indagare licebat. Huic igitur casui exemplum, quod magni momenti esse videtur, certam quantam similitudinem praebet. Infans enim, quem clarissimo Dietrich [32]) observandi copia facta est, proxime infra umbilicum tumorem habebat, pugni magnitudine, qui humorem glutinosum sanguineumque exsudabat atque in processum acuminatum exibat, unde humor subviridis effluebat. In loco symphyseos ossium pubis duo testiculi apparebant, scilicet corpuscula verrucarum forma praedita, pisi magnitudine et infra eos, duo alia majore ambitu. Continuatio illa ad colon ducebat, simulque conjunctos inter se utriusque lateris uretheres recipiebat, qui proxime eum locum aperiebantur, ex quo faeces exibant. Quo loco neque vesica urinaria, neque uterus, neque anus formata erant. Hac in re maxime mirum accidit, ut quoties universus tumor vel una de exiguis illis eminentiis pressu angebatur, ista, cujus modo mentionem fecimus, productio sursum erigeretur et faeces effunderet. In exemplo quodam, cujus indolem Thamm [33]) exposuit, ileum qnoque et utraque brevis uteri vagina una cum uretheribus in communi massa patefiebant. Quam quidem massam verisimile est nihil aliud esse, nisi rectum intestinum, quod inversum et prolapsum sit, quum ejus pars probabiliter ad intestinum rectum fingendum destinata fuerit. In hisce igitur deformationis gradibus aperturae systematis uropoetici, genitalium, superni et inferni dimidii intestini in massa quadam aperta et ad anteriorem abdominis superficiem posita coeunt, quae commmuniter ad omnia haec organa videtur pertinere. Quodsi evolutio minus imperfecta fuit, ista massa etsi haud magis formatur, tamen non omnia ea organa, quae antea, nunc in ea congrediuntur, sed unum e pristina cum reliquis societate discedit, quum cetera duo veterem conjunctionem retineant. Superius vero atque inferius canalis intestinorum dimidium in unum canalem coierunt, eaque apertura, quae ad ductum intestinorum fert, nunc re vera posteriorem recti intestini finem efficit. Superior igitur evolutionis gradus ita comparatus est, ut canalis intestinorum jam unam massam efficiat, sed tamen intestina etiamtum cum vesica umbilicali per canalem conjuncta sint. Exemplum quidem, quod huic generi accensendum sit, doctissimus Meckel in Archivo Reiliano [34]) commemoravit. Scilicet infans quidam diverticulo laborabat, quod in tenui intestino undecim pollicibus supra illius cum crasso conjunctionem sedem collocaverat. Per longitudinem dimidii pollicis illud eandem propemodum amplitudinem exhibebat, quae tenuis intestini erat; nec tamen hoc loco, ut vulgo accidere solet, coecum exitum habebat, sed in canalem convertebatur paullulo angustiorem, verum ubique apertum et e membranis tenuioribus formatum, qui usque ad funiculi umbilicalis insertionem pertinebat et eo usque patefactus et tenui meconio refertus erat. Qui per totum decursum vasis omphalo-mesentericis comitatus est, quae ex superiore arteria mesaraica proficiscebantur, ad um-

---

32) **Zadig und Friese Archiv der pr, H, Bd, 1, S, 485,**
33) **Thamm a, a, O,**
34) **Reils Archiv Bd, IX, H, 1,**

bilicum coecum finem habebat, neque cum vesica, quae urachum repraesentabat, ullo in loco communicabat.

Hic igitur omnino perspicue apertus inter canalem intestinorum atque umbilicum meatus offerebatur, qui eodem in loco, quo diverticulum sedem figere solet et ductus vitello-intestinalis avium insinuatur, in tenue intestinum profectus ab iisdemque vasis, quibus ille comitatus erat. Eodem accessit, ut verum diverticulum conspiceretur, idque eo tantum a vulgari differret, quod non occlusum erat. Hic autem ductus nihil erat aliud, nisi proprius ductus vitello-intestinalis. Istud igitur monstrum etiamtum manifestam inter tenue intestinum et umbilicum conjunctionem offerebat, atque in canali, qui conjunctionem effecit, vasa omphalo-mesaraica decurrebant. Ille vero canalis conjunctivus, quanquam in vulgari diverticulo obliteratur, tamen nequaquam raro ista vasa usque ad certam quidem periodum in eo decurrere videntur. Sic enim illa quum alii viri docti tum illustris Meckel[35]) in puero tres menses nato, Otto[36]) et Sandifort[37]) in infantibus recens natis et van Doeveren[38]) in adulto homine observaverunt. Aliud quoddam monstrum Meckel observatum in egregio suo libro descripsit. Fuit enim illud foetus quatuor mensium quatuor pollices longus. Extrinsecus quidem nihil aliud animadvertere licebat, nisi duas ejus inferiores extremitates inter se concretas esse, ita tamen, ut eas per cunctam longitudinem perspicue inter se distinguere posses. Cor autem omnino planum subrotundam formam exhibet, quum in foetibus pari magnitudine atque aetate, si normali conditione gaudent, jampridem oblongam et coni similem speciem induerit et facile perspicueque dignosci posset, septum autem maxime dilucide, modo paullo profundius quam assolet, perforatum est. Canalis intestinorum in duo dimidia est divisus, qui in cavo abdominis minime conjuncta sunt, quorum superius, sive dimidium stomachale, ventriculum secundum legitimam normam conformatum et fragmentum undecim pollices longum tenuis intestini continet, qui per maximum decursum usitatam exhibet amplitudinem, verum uno pollice longius, quadruplo amplificatur, tum vero paullatim rursus valde contrahitur et per umbilicum in funiculum umbilicalem ingreditur. Hic per longitudinem unius pollicis decurrit, ac postremo in filum pertenue contrahitur, quod cum alio ejusdem tenuitatis, cum fine scilicet inferioris dimidii canalis intestinorum, ita copulatur ut acutum cum eo angulum efficiat. Hoc igitur extremum dilatatum in abdomen regreditur neque ita multo post cum colo conjungitur, quod mox admodum intumuit et in coecum finem exit. In loco istius conjunctionis satis luculentus processus vermicularis reperitur, qui libere pendet. Praeterea vero ex eo loco, quo superna tenuis intestini pars in exile filum extenuata ejusque pars inferna secum invicem congrediuntur, exiguum filum in funiculo umbilicali pergit, quod tamen mox perditur. Maxime luculenter una cum utroque tenuis intestini dimidio arteria et vena omphalo-mesentericae per umbilicum ex abdomine exeunt, atque cum illo parvo filo in funiculo umbilicali perduntur.

Jam vero omnia exempla de hac canalis intestinorum deformitate, quae adhuc recen-

---

[35]) Reils Archiv. Bd. IX. H. 1.

[36]) Monstr. trium. cerebri destit. Francof. 1808.

[37]) Obss. anat. pathol. lib. I, p. 124.

[38]) Observat. acad. specimen 1765 p. 20.

suimus, ad priorem formationis periodum pertinent, vel hinc perfacile explicari queunt, quod universa corporis evolutio in inferiore aliquo organisationis statu impedita perseveraverit. Plerumque accidere solebat, ut ea pravitas cum impeditis formationibus in aliis gravibus organis conjuncta esset; cum acephalia, spina bifida, manca inferiorum extremitatum evolutione, atresia ani, coeca crassi intestini terminatione. In eo quidem exemplo, quod nos exposuimus, nulla ex istis deformitatibus sub oculorum adspectum subjicitur, sed infans, si vitium modo commemoratum excipias, ceteroquin perfecte evolutus est; modo infra umbilicum sulcum per cutem sensu animadvertere licet, tanquam musculi recti non perfecte evoluti essent. Faeces secundum legitimam normam per anum egerebantur; qua re hoc exemplum vehementer a multis differebat, quorum supra mentionem fecimus, in quibus anus deerat, ac propterea praeternaturalis, qui dicitur, anus, in loco umbilici erat natus. Quae quum ita essent, prognosin vitae infantis satis faustam constituere licebat, atque apertura fistulae postea concludi, annulus vero umbilicalis se contrahere potuit, nisi paucorum dierum intervallo adspectus huius exempli vehementer mutatus esset. Etenim quum octo fere dies interfluxissent, postquam hic infans primum adspectui expositus est, ante umbilicum pars intestinorum e fusco rubescens, in formam litterae S curvata, amplius tres pollices longa apparuit, quae umbilico brevi petiolo insidebat, quo in umbilicum se penitus insinuare videbatur, quaeque hoc loco annulo granulante et suppurante circumdata erat, qui annulus depulso funiculo umbilicali remanserat. Ea intestinorum sensum praebebat, tanquam farciminis, satis plene conferti, finibus suis obtuse acuminatis, ad parietem abdominis vergebat et in utroque aperturum habebat, in quam specillo crassa pulla instructo ad unum fere pollicem penetrari poterat. Infans triduo obstructionibus laborabat et hesterno modo die clysmate adhibito perpaucas faeces, probabiliter ex inferna tantum intestinorum parte per anum effudit. Infans nihil prope bibit, parum urinac emittit ceteroquin non admodum mutatus est. Ex altero tantum istorum foraminum faeces egerebantur, quum alterum modo vitreum entericum qui vocatur mucum secerneret. Quam rem ut interpretarer, sic fere suspicabar: hoc loco duplicem intussusceptionem locum habuisse, alteram ex superna in infernam partem, alteram vice versa, eamque per aperturam ab utroque latere transgressam posteriorem intestinorum parietem secum protraxisse. Quod ut sic statuerem eo adductus sum, quod saepius intussusceptiones in isto canalis intestinorum loco occurrere solent, deinde vero propter sententiam, quam doctissimus Voigtel [39]) in anatomia sua pathologica proponit, in iis casibus, ubi duae intussusceptiones extiterint, earum directiones inter se discrepare, quum in altera intestina deorsum in altera sursum ingressa sint; veluti similem casum in puero quatuordecim annorum clarissimus Blasius [40]) adumbravit, in quo duae intussusceptiones multum inter se distantes directionem prorsus contrariam secutae erant. Quapropter ista intestinorum pars in litterae S formam prolapsa, haud scio an e quatuor stratis constiterit, extremum stratum membrana mucosa, deinceps serosa, tertium item serosa, quartum denique iterum mucosa fuerit. De hac tamen opinione doctissimus meus praeceptor Blasius, quem mihi maxima veneratione colendum arbitror, facile

---

39) **Pathol. Anatomie Band 2, S. 569.**

40) **Obs. med. p. II, obs. 3. pag. 37. tab. V. fig. 2.**

THESES.

I.

Omne vulnus morsu effectum curandum est, quasi venenatum esset.

II.

In solvenda placenta methodus activa exspectativae est praeferenda.

III.

Tenotomia sine orthopaedia nihil prodest.

IV.

Arteriarum ligatura torsioni est praeferenda.

V.

Est generatio aequivoca.